

uictum & uesitum, & alia quibus seruatur nostre mortalitati quæ est quedam seruitus à qua liberabuntur sancti tendentes in libertatem gloriæ filiorum dei. Qui quantum nunc habeant libertatem iustitiæ quæ est à seruitute peccati, nondum tamen habeant libertatem gloriæ quæ est à seruitute miseræ. Iob. 39. Quis dimisit onagram liberis? Si uero per creaturam intelligatur humana natura ipsa liberabitur à seruitute corruptionis. i. ad libertatem à passibilitate & corruptione, & hoc tendens in libertatem gloriæ filiorum dei, quæ est non solum à culpa, sed etiã à morte, secundum illud. i. Cor. 15. Absorpta est mors in uictoria. Si uero intelligatur de creatura sensibili, sic ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis. i. mutabilitatis: quia in qualibet mutatione est aliqua corruptio, ut Aug. dicit. & etiã philosophus in 3. physico. & hoc in libertatem gloriæ filiorum dei, quia hoc etiã liberati gloriæ filiorum dei congruit, ut sicut ipsi sunt in noua, etiam eorum habitatio in noua. Eiaj. 62. Ego creo celos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, id est, prior mutabilitas creature, quia & ipsa & secundum primum sensum. Ac si dicat, Non solum nos apostoli, sed etiam alij iusti. In sensu autem secundo, non solum iusti, sed etiam ipsa humana natura quæ in quibusdam nondum est renouata per gratiam. In tertio autem sensu intelligendum est ac si dicatur, Non solum homines sed alia creatura.

¶ Deinde cum dicit, (Scimus enim &c.) ponit signum expectationis. Scimus enim nos apostoli per spiritum sanctum instructi, & etiam per experimentum quod omnibus creatura ingemiscit & paritur usque adhuc. Quod quidem si intelligatur de creatura sensibili habet difficultatem. Primo quidem quantum ad hoc quod dicit, Ingemiscit & paritur, hoc enim conuenire uidetur non nisi creature rationali, sed potest sic exponi ut hoc quod dicit, Ingemiscit, idem sit ei quod dicit, non uolens. In illis enim ingemiscimus, quæ nostre uoluntati repugnant. Sic ergo in quantum defectus nature sensibilis sunt contra naturalem appetitum particularis nature dicit ipsa creatura sensibilis ingemiscere. Quod autem dicit, paritur, id est ei quod supra dixerat, Expectat. Nam pariturio est uia ad prolem producendam. Secundum autem dubium est in hoc quod dicit, (Omnis creatura) quia sic etiã includerentur corpora caelestia. Vnde & gloria dicit quod sol & luna non sine labore statuta sibi implent spatia, sed exponendum est ut labor accipitur pro motu, sicut & requies quandoque accipitur pro cessatione ab opere sicut deus die septima requieuit dicitur Gen. 1. Et secundum hoc gemitus intelligitur corruptio quæ aut miscetur motui locali, prout. i. desinat esse in hoc ubi & incipit esse in alio: per partitionem autem intelligitur ordinatio caelestium corporum ad eorum inuolutionem. Si uero exponatur de hominibus dicitur humana natura omnis creatura, quia participat cum omni creatura, cum spirituali quidem quantum ad intellectum, cum animali quantum ad corporis animationem, cum corporali quantum ad corpus. Hic ergo creatura. i. homo ingemiscit partim propter mala quæ patitur, partim propter bona operata quæ differuntur. Teren. i. Multi gemitus mei. Parturit autem, quia cum quadam afflictione animi sustinet dilationem gloriæ expectatæ. Prouerb. 6. Spes quæ differit affligit animam. Io. 16. Mulierum parit tristitiam habet. Plal. Ibi dolores ut parturientes. Dicit autem usque adhuc, quia iste gemitus non est ablatu per nostram iustificationem, sed permanet usque adhuc. i. usque ad mortem uel usque adhuc, quæ & si aliqui iam sint liberati qui sunt in gloria, adhuc tamen non sumus residiui. Vel usque adhuc, quia non solum antiqui patres quæ fuerunt ante CHRISTVM, sed etiã adhuc tempore gratiæ eadē patimur. 2. Pet. 3. dicitur ex persona impiorum, Vbi est promissio aut aduentus eius. Ex quo patres dormierunt omnia sic

perseuerant ab initio creature. ¶ Est autem sciendum quod creatura dei potest dici omne illud quod sub deo est, alij uoluerunt prædicta uerba exponere de qualibet creatura etiam de angelis sanctis. Sed valde inconueniens est ut ipsi dicantur uanitati subiecti, aut ingemiscere & paritur: ut ipsi iam habeat gloriam, cuius similitudinem expectamus, secundum illud Mat. 22. Erunt sicut angeli dei in caelis. & ideo tonuentius secundum prædicta exponitur.

¶ Lectio v.



On solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum

dei expectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus.

Spes autem quæ uidetur non est spes.

Nam quod uidet quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus,

per patientiam expectamus. Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quod oremus sicut oportet nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat spiritus, quia secundum deum postulat pro sanctis.

¶ Supra ostendit apostolus excellentiam futuræ gloriæ & expectationem creaturæ nunc ostendit idem expectationem apostolorum. Non autem potest esse parum quod à magnis uiris expectatur tam anxie. Et circa hoc duo facit. Primum quod intendit. Secundum probat apostolus, ubi, (Spe enim &c.) Circa primum tria facit. Primum proponit dignitatem expectantium eum dicit, (Non solum autem illa) scilicet creatura expectat gloriam filiorum dei, sed & nos ipsi scilicet apostoli habentes primitias spiritus sancti, quia scilicet spiritum sanctum & tempore prius, & ceteris abundantius apostoli habuerunt, sicut & in fructibus terræ illud quod primum ad maturitatem peruenit est pinguis & magis acceptum. Hier. 2. Sanctus Israel domino primitiæ fugum eius. Heb. 12. Accessistis ad ecclesiam primitiuorum qui consecrati sunt in caelestibus. Ex quo patet quod apostoli sunt omnibus alijs sanctis quocumque prærogatiua præfulgent, siue uirginitatis, siue doctrinæ, siue martirij præferendi, tanquam abundantius spiritum sanctum habentes. ¶ Sed potest aliquis dicere quod quidam alij sancti maiora tormenta sustinuerunt, & maiores austeritates propter CHRISTVM quæ apostoli. ¶ Sed sciendum est quod magnitudo meriti principaliter & respectu essentialis præmij attenditur secundum charitatem. Consiuit enim præmij essentialia in gaudio quod habetur de deo. Manifestum est autem quod de deo plus gaudebunt qui plus amant. Vnde & illam uisionem beatam dominus suo dilecto promittit dicens Ioannis. 14. Si quis diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo me ipsum. Sed secundum magnitudinem operum meretur homo præmij accidentale quod est gaudium de talibus operibus. Apostoli ergo illa opera quæ fecerunt ex maiori charitate fecerunt, ex qua habebant cor ad multa maiora faciendâ si fuisset opportunum. Si autem dicat aliquis potest tantum quis conari quod habebit

Ostenditur magnitudo gloriæ futuræ expectatio ne magno. In. apostolorum.

Apostoli habuerunt primitias spiritibus: quia spiritus sanctus acciperet & tempore prius & ceteris abundantius.

Magnitudo meriti simpliciter est à charitate.